



per hanc excessus dimidium alterum transfertur in m , totus igitur excessus communicatur massae m tardius motae, cui si accedit celeritas qua m ante conflictum movebatur tota celeritas massae m est $= d + c = C$ & celeritas massae $M = C - d = c$.

COROLLARIUM IV. Si $M > m$, rursus utraque massa secundum incurrentis directionem progreditur, M tardius, m vero velocius. Nam massa incurrens M . Vi primae actionis massae tardiori m tantum de celeritatis suae excessu seu differentia communicat, ut si durae essent, utraque massa, post conflictum eadem celeritate progrediretur (*per §. 10. cap. praec.*) cum igitur sit $V = le E$ (*per coroll. 1. §. 3. cap. praes.*) vi actionis secundae massa m tantundem de excessu celeritatis massae M accipit, quantum vi actionis primae acceperat; Quoniam proinde vi actionis primae utriusque massae celeritas aequalis foret, haec vero in massa m vi actionis secundae augeatur; in massa M vero minuatur; massa ante conflictum tardius mota post conflictum movebitur celerius; M vero tardius.

COROLLARIUM V. Si $M < m$, massa celerius mota ante ictum, post ictum aliquando subsistet; aliquando juxta priorem directionem tardius progredietur; aliquando in plagam priori directioni oppositam resiliet. Nam vi primae actionis excessus velocitatis in massa M per summam massarum ita distribuitur, ac si dura forent corpora; cum igitur multiplex esse possit velocitatis relativae seu excessus & massarum proportio, fieri potest ut celeritas in M post primam actionem residua aliquan-